


num aperta aut rupta, sperare quidem licet, etiam si sanguis copiosè profundatur, modò substantia pulmonum integra sit; tabis tamen periculum significatur, si sanguis qui ex venæ ruptura in pulmonum substantiam illapsus est, ibi detineatur, sicque inflammetur & putrescat; pulmonum enim substantiam tandem corrumpit & exulcerat. Periculum quoque est ex venæ magnæ ruptura aut apertura, ne sanguinis multitudine cor suffocetur, aliquando enim tanta copia inde profunditur sanguis, ut etiam pelues magnæque vascula breui tempore impleta fuerint. Sanguinis sputio si ex pulmonum erosione ortum habeat, incurabilis est. Si ex thorace sanguis profluat, minoris est periculi quàm si ex pulmone id fiat. Sputum sanguinis succedens sputo faniei, significat vlcus pulmonis. Sanguinis sputum diu durans in tabem transit. Sanguinem sputo qui reiciunt, dum infirmo lateri incumbunt, impensius id facere solent. Non semper tamen timendum est sanguinis sputum, cum præseruet subinde viscera interna, iecur nimirum aut splenem ab apostemate.



Methodus pro curatione

SPVTATIONIS SANGVINIS INSERVIENS.

Perficitur autem subsequentibus remediorum generibus.

VICTVS RATIONE.

A Er ad frigidum siccūmque parum declinet. Vitet solares radios, ventūmque Meridionalem, atque lucentem focum.

Cibus sit refrigerans, siccaus atque astringens, imò viscosa sint atque glutinosa, si à ruptura alicuius venæ
in